

## DE LEGIBUS

### LIBER TERTIUS.

I. MARCUS. Sequare igitur, ut institui, divinum illum virum, quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. — ATT. Platonem videlicet dicens. — MARC. Iustum ipsum, Attice. — ATT. Tu vero eum nec nimis valde unquam, nec nimis saepe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem, nisi suum, laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. — MARC. Bene hercule faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita, et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. — ATT. Sane gaudeo, quod te interpellavi, quandoquidem tam praeclarum mihi dedisti judicii tui testimonium. Sed perge, ut cœperas. — MARC. Laudemus igitur prius legem ipsam veris et propriis generis sui laudibus. — ATT. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti.

MARC. Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, ut præsit, prescribatque recta et utilia et conjuncta cum legibus. Ut enim magistratus leges, ita

### LIBER III.

85

populo præsunt magistratus: vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem munum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad jus conditionemque naturæ (quod quum dico, legem a me dici, nihilque aliud intelligi volo), quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam et hic deo paret, et huic obedient maria terræque, et hominum vita jussis supremæ legis obtemperat.

II. Atque, ut ad haec ceteriora veniam et notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines justissimos et sapientissimos deferebatur: idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas preffuit. Deinde etiam deinceps posteris probebatur: quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis, queque de optima republica sentiremus, in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum.

Magistratus igitur opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest;

quorumque descriptione omnis reipublicæ moderationis continetur. Neque solum iis prescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est; et qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare, se aliquo tempore imperaturum; et illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum, ut obtemperent obedientiisque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligentique, præscribimus, ut Charrondas in suis facit legibus. Noster vero Plato Titianum e genere statuit eos, qui ut illi colestibus, sic hi adversentur magistratibus. Quia quum ita sint, ad ipsas jam leges veniamus, si placet.

ATT. Mihi vero et istud, et ordo iste rerum placet.

III. MARC. « Justa imperia sunt; iisque cives modestae ac sine recusatione parento. — Magistratus nec obedientem<sup>2</sup> et noxiūm cīvēm multā, vinculis, verberibusve coerceto, ni par, majorve potestas, populusve prohibessit: ad quos provocatio esto. — Quum magistratus judicassit inrogassive, per populum multæ, poenæ certatio esto. — Militiae ab eo, qui imperabat, provocata.

<sup>1</sup> Quorum. <sup>2</sup> Omnes mss. et innoxium; unde Davi-  
sius conj. nec innoxium. Gærzenio placet et in noxia  
cīvēm, quod Gebhardus jam suaserat.

tio ne esto; quodque is, qui bellum gerat, imp̄erassit, jus ratumque esto. — Minores magistratus, partiti juris, plures in plera sunt. « Militiae, quibus jussi erunt imperanto, eorumque tribuni sunt. Domi pecuniam publicam custodiunt; vincula sontum servanto; capitalia vindicanto; æs, argentum, aurumve publice signanto; lites contractas judicanto; quodcumque senatus creverit, agunto. — Suntoque aediles, cœratores urbis, annonæ, ludorumque solennium; ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto. — Censores populi arietates, soboles, familias, pecuniasque censento; urbis templæ, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento; populique partes in tribus distribuunto; ex pecunias, ævitates, ordines partiunto; equitum, peditemque prolem describunto; codibes esse prohibento; mores populi regunto; proximum in senatu ne relinquento. Bini sunt; magistratus quinquennium habent: reliqui magistratus annui sunt. Eaque potestas semper esto. — Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto. Is juris civilis custos esto. Huic potestate pari quotcumque senatus creverit, populusve jusserit, tot sunt.

<sup>1</sup> Ed. Ernest. qui, operarum forte vitio.

“ — Regio imperio duo sunt; iique praeundo,  
 “ judicando , consulendo praetores , judices , con-  
 “ sules appellantor. Militia sumnum jus habento ,  
 “ nemini parento. Ollis salus populi suprema lex  
 “ esto. — Eundem magistratum , ni interfuerint  
 “ decem anni , ne quis capito. — Aevitatem annali  
 “ lege servatio. — Ast quando duellum gravius ,  
 “ discordiae civium escunt , oenus , ne amplius  
 “ sex menses , si senatus creverit , idem juris ,  
 “ quod duo consules , teneto; isque ave sinistra  
 “ dictus , populi magister esto. Equitemque qui  
 “ regat , habeto pari jure cum eo , quicumque  
 “ erit juris disceptator. Ast quando [consul] is est  
 “ magister populi , reliqui magistratus ne sunt.

“ — Auspicia patrum sunt; ollique ex se pro-  
 “ dunto , qui comitatu creare consules rite <sup>1</sup> pos-  
 “ sint. Imperia , potestates , legationes , quum  
 “ senatus creverit populuse jusserit , ex urbe ex-  
 “ emto ; duella justa gerunto ; sociis parcun-  
 “ to ; se et <sup>2</sup> suos continentio ; populi sui gloriam  
 “ augento ; domum cum laude redeunto. — Rei  
 “ suae ergo ne quis legatus esto. — Plebes quos  
 “ pro se contra vim , auxili ergo , decem creassit ,  
 “ tribuni ejus suuto ; quodque ii prohibessint ,

<sup>1</sup> Gærenzius emendavit possit , sane probabiliter.

<sup>2</sup> Vulg. servos.

“ quodque plebem rogassint , ratum esto ; sancti-  
 “ que sunt ; neve plebem orbam tribunis relin-  
 “ quanto. — Omnes magistratus anspicium judi-  
 “ ciuumque habento : ex quois senatus esto : ejus  
 “ decreta , rata sunt. <sup>1</sup> Ast ni potestas par ma-  
 “ jore prohibessit , senatus consulta perscripta ser-  
 “ vanto. Is ordo vitio vacato : ceteris specimen  
 “ esto. — Creatio magistratum , judicia , populi  
 “ jussa , vetita , quum suffragio conciscentur , op-  
 “ timatibus nota , plebi libera sunt.

“ IV. <sup>2</sup> At si quid erit , quod extra magistratus  
 “ coeratore cesus sit ; qui coeret , populus creato ,  
 “ eique jus cerandi dato. — Cum populo patribus  
 “ que agendi jus esto consuli , praetori , magistro  
 “ populi , equitumque , eique , quem produnt pa-  
 “ tres consulum rogandorum ergo ; tribunisque ,  
 “ quos sibi plebes rogassit , jus esto cum patribus  
 “ agendi ; iidem , ad plebem , quod cesus erit , fe-  
 “ runto. — <sup>3</sup> Qua cum populo , quæque in patribus  
 “ agentur , modica sunt. — Senatori , qui nec ade-  
 “ rit , aut causa , aut culpa esto. Loco senator , et  
 “ modq orato : causas populi teneto. — Vis in

<sup>1</sup> Wagner , Ast si potestas par ; Gorenz , Ast potestas par , plaudente nuper editore Lipsiensi. Usus enim priscus , pro At si potestas . <sup>2</sup> Gorenz hic quoque , Ast quid erit . <sup>3</sup> Gærenz. conjicit legendum Quæque cum populo.

“populo abesto. Par, majorve potestas plus va-  
“leto. Ast qui <sup>1</sup> turbassit in agendo, fraus <sup>2</sup> ac-  
“toris esto. Intercessor rei malæ, salutaris civis  
“esto. — Qui agent, auspicia servanto; <sup>3</sup> au-  
“guri parento; promulgata, proposita, <sup>4</sup> in æra-  
“rio cognita, agunto; nec plus, quam de sin-  
“gulis rebus semel consulunto; rem populum  
“docento; doceri a magistratibus privatisque pa-  
“tiunto. — Privilegia ne irroganto; de capite ci-  
“vis, nisi per maximum comitiatum, ollosque,  
“quos censores in partibus populi locassint, ne  
“ferunto. — Donum ne capiunto, neve danto,  
“neve petenda, neve gerenda, neve gesta potes-  
“tate. Quod quis earum rerum migrassit, noxia  
“poena par esto. — <sup>5</sup> Censores fide legem custo-  
“diunto. Privati ad eos acta referunto; nec eo  
“magis lege liberi suntu. ”

V. Lex recitata est. <sup>6</sup> Discedite, et tabellam ju-  
bebo dari.

QUINT. Quam brevi, frater, in conspectu posita  
est a te omnium magistratum descriptio! sed ea

<sup>1</sup> Al. codd. turbassitur. <sup>2</sup> Edidit Ernest. auctoris,  
ex mss. aliquot; vulgata autem lectio præoptanda,  
ut post cap. 19, ubi Ern. sibi non constans nihil mu-  
tavit. <sup>3</sup> Davisius et mss. anguri publico. <sup>4</sup> Alii aliter  
conficiunt; Gærenz. optime, proposita in ære, cognita  
agunto. <sup>5</sup> Censoris. <sup>6</sup> Vulg. Disce rem.

pæne nostræ civitatis, et si a te paullum allatum  
est novi. — MARC. Rectissime, Quinte, animad-  
vertis. Hæc est enim, quam Scipio laudat in li-  
bris, et quam maxime probat temperationem  
reipublicæ; quæ effici non potuisse, nisi tali  
descriptione magistratum. Nam sic habetote,  
magistratibus, iisque, qui præsint, contineri rem  
publicam, et ex eorum compositione, quod cu-  
jusque reipublicæ genus sit, intelligi. Quæ res  
quæ sapientissime moderatissimeque constituta  
esset a majoribus nostris, nihil habui, sane non  
multum, quod putarem novandum in legibus. —  
ATT. Reddes igitur nobis, ut in religionis lege  
fecisti, admoniti et rogatu meo, sic de magis-  
tratibus, ut disputes, quibus de causis maxime  
placeat ista descriptio. — MARC. Faciam, Attice,  
ut vis; et locum istum totum, ut a doctissimis  
Græciæ quæsitum et disputatum est, explicabo,  
et, ut institui, nostra jura attingam. — ATT. Is-  
tud maxime exspecto disserendi genus. — MARC.  
Atqui pleraque sunt dicta in illis libris, <sup>1</sup> quod  
faciendum fuit, quum de optima republica quæ-  
reretur. Sed hujus loci de magistratibus sunt pro-

<sup>1</sup> Omittunt verba hæc, quod faciendum fuit, Gruter.  
Davis. Ern. Wagner; absunt enim a quibusdam codd.  
Nuperi vero editores non sine causa revocavere.

pria quædam, a Theophrasto primum, deinde a Dione stoico quæsita subtilius.

**VI. ATT.** Ain' tandem? etiam a stoicis ista tractata sunt? — **MARC.** Non sane, nisi ab eo, quem modo nominavi, et postea a magno homine et in primis eruditio, Panætio. Nam veteres verbo tenuis, acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de republica disserebant. Ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe. Post Aristoteles illustravit omnem hunc civilem in disputando locum, Heraclidesque Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophrastus vero, institutus ab Aristotele, <sup>1</sup> habitavit, ut scitis, in eo genere rerum; ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque, non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros, et doctissimos homines non nimis in republica versatos, multos commemorare possumus. Qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinæ studiis et regenda civitate

<sup>1</sup> At. abundavit.

princeps esset, quis facile, præter hunc, inveniri potest?

**VII. ATT.** Puto posse, et quidem aliquem de tribus nobis. Sed perge, ut corporas.

**MARC.** Quæsitus igitur ab illis est, placeretne unum in civitate esse magistratum, cui reliqui pareant: quod exactis regibus intelligo placuisse nostris majoribus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea, non tam regni, quam regis vitiis, repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabat. Quare nec ephori Lacedæmonie sine causa a Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. Nam illud quidem ipsum, quod in jure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno, qui post extitit, ne id, quod <sup>1</sup> fuerat, esset: hoc enim primum minuit consulare jus, quod extitit ipse, qui <sup>2</sup> eo non teneretur; deinde quod attulit auxiliu reliquis non modo magistratibus, sed etiam privatis, consuli non parentibus. — **QUINT.** Magnum dicis malum. Nam, ista potestate nata, gravitas optimatum cecidit, convaluitque <sup>3</sup> jus multitudinis.

<sup>1</sup> Fuerit. <sup>2</sup> In eo. <sup>3</sup> Conjicit Wagner vim multitudinis.

titudinis. — MARC. Non est ita, Quinte. Non enim jus illud solum superbius populo, sed violentius videri necesse erat: quo posteaquam modica et sapiens temperatio accessit, 'conversa lex in omnes est.'<sup>\*\*\*</sup>

*Deest omnium hujus legis capitum explicatio a principio, usque ad hoc caput, Domum cum I.*

VIII. «Domum cum laude redeunto.» Nihil enim, praeter laudem, bonis atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a sociis reportandum. — Jam illud apertum profecto est, nihil esse turpius, quam <sup>2</sup> quemquam legari nisi reipublicæ causa. Omitto, quemadmodum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditatis, aut syngraphas suas persequeantur. In hominibus est hoc fortasse vitium. Sed quæro, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo reipublicæ munere? Quod quidem genus legationis ego consul, quanquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen, approbante senatu frequentissimo, nisi mihi <sup>3</sup> levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustu-

<sup>1</sup> Davisius nimis audacter conjicit, confecta pax inter omnes est. Manca forte ob lacunam lectio. <sup>2</sup> Gærenzii e codd. quempiam. <sup>3</sup> Plerique mss. levis.

lissem. Tamen minui tempus, et, quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Sed jam, si placet, de provinciis decadatur, in urbemque redeatur. — ATT. Nobis vero placet; sed iis, qui in provinciis sunt, minime placet. — MARC. At vero, Tite, si pareant his legibus, nihil erit his urbe, nihil domo sua dulcicūs; nec laboriosius molestiusque provincia.

Sed sequitur lex, quæ sancit eam tribunorum plebis potestatem, quæ in republica nostra: de qua disseri nihil necesse est. — QUINT. At mehercule ego, frater, quæro, de ista potestate quid sentias. Nam mihi quidem pestifera videtur; quippe quæ in seditione, et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum, si recordari volumus, inter arma civium, et occupatio et obsessio urbis locis, procreatum videmus. Deinde quum esset cito <sup>1</sup> allegatus, tanquam ex XII Tabulis, insignis ad deformitatem puer, brevi tempore creatus, multoq[ue] tetricior et fœdior natus est.

IX. Quæ enim ille non edidit? qui primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eri-

<sup>1</sup> Vulg. legatus. Conjiciunt hic multi multa; inter quæ notatu digna videtur Gruteri et Puteani emendatio, quum esset cito letatus, et post recreatus. Receperimus nos ex Aurati conjectura, post Ernest. et Davisium, allegatus, quod Wagner quoque servavit.

puit; omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit; quum afflixisset principum gravitatem, nunquam tamen conqueivit. Atque ut C. Flaminiū, atque ea, qua jam prisca sunt, relinquam, quid juris bonis viris Tib. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante, D. Brutum et P. Scipionem consules (quos et quantos viros!) homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus plebis, C. Curiatius in vincula conjectit: quod ante factum non erat. C. vero Gracchus<sup>1</sup> runis et sicis iis, quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicæ statum permutavit? Quid jam de Saturnini supplicio reliquisque dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit respublica. Cur autem aut vetera, aut aliena proferant potius, quam et nostra, et recentia? Quis unquam tam audax, tam inimicus nobis fuisse, ut cogitaret unquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunitium exacusset in nos? quem quum homines scelerati ac perditii, non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris reipublicæ perturbandas putaverunt.

<sup>1</sup> Plerique habent cod. ruinis et emissitiis. Turneb. restituit primus runis et iis sicis; Lamb. vero, siccis iis, quam lect. nunc fere omnes ut certam habent. Gærrenz, tamen servavit emissitiis.

Quod nobis quidem egregium, et ad immortalitatem memorie gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. Sed ille quas strages edidit? eas videlicet, quas sine ratione, ac sine ulla spe bona, furor edere potuit impuræ belluæ, multorum inflammatuſ furoribus. Quamobrem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege injuria facienda potestatem ademerit, auxiliū ferendi reliquerit: Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summissisque effero laudibus; de tribunitia potestate taceo. Nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.

X. MARC. Vitia quidem tribunatus praeclare, Quinte, perspicis. Sed est iniqua in omni re accusanda, pratermissis bonis, malorum enumeratio vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consulatus vituperio est, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali. Sed bonus, quod est quæsum in ea, sine isto malo non haberemus. Nimirum potestas est tribunorum plebis. Quis negat? Sed vis populi multo sàevior multoque vehementior, quæ ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. Dux enim suo periculo progredi cogitat: populi impetus periculi

rationem sui non habet. At aliquando incenditur. Et quidem saxe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? Quin <sup>1</sup> ipsum Tib. Gracchum non solum <sup>2</sup> vetitus, sed etiam sublatus intercessor <sup>3</sup> frerat. Quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestam intercedendi college abrogavit? Sed tu <sup>4</sup> sapientiam majorum in illo vide. Concessa plebi a patribus ista potestate, arma ceciderunt; restincta sedatio est; inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aquari se <sup>5</sup> putarent: in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et prater eos quamvis enumeres multos, licet: quum deni creantur, <sup>6</sup> nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos; leves, etiam non honos fortasse plures. Invidia quidem summus ordo caret: plebes de suo jure periculosa contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt; aut plebi re, non verbo danda libertas: quae tamen sic data est, <sup>7</sup> ut multis prae

<sup>1</sup> Per ipsum. <sup>2</sup> Nectus. <sup>3</sup> Olim fuerat. Davis. perculerat; Gærenz. straverat. Wagner sic omnia hæc constitui vult, Quin perdidit hoc Tib. Gracchum, quod per ipsum non solum vetitus, sed etiam sublatus intercessor fuerat. <sup>4</sup> Sapientia majori. <sup>5</sup> Putarint. <sup>6</sup> Ern. male reposuit nonnullos, quem imprudens Wagner secutus est. <sup>7</sup> Lamb. conj. ut multis praeclarissimis le-

clarissimis addiceretur, ut auctoritati principum cederet.

XI. Nostra autem causa, quæ, optime et dulcissime frater, incidit in tribunitiam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. Non enim plebs incitata nostris rebus invidit; sed vincula soluta sunt, et servitia incitata, adjuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo reipublicæ tempore: cui si non cessisset, non diuturna beneficii mei patria fructum tulisset. Atque hoc rei exitus indicavit. Quis enim non modo liber, sed etiam servus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? Quod si es casus fuisset rerum, quas pro salute reipublicæ gessimus, ut non omnibus gratus esset; et, si nos multitudinis vis furentis inflammata invidia pepulisset; si tribunus aliquis in me populum, sicut Gracchus in Lænatem, Saturninus in Metellum, incitasset: ferremus, o Quinte frater, consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam clarissimi viri, qui illa urbe pulsi carere ingrata civitate, quam manere in improba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix

gibus addiceretur; Davis. praeclar. setis; Schütz, ut muneribus praeclarissimis adduceretur.

satis mihi illud videris attendere, non solum ei, quid esset optimum, videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem: quippe quam tantisper populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit, causam nec perniciosa, et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. Scis solere, frater, in hujusmodi sermone, ut transiri alio possit, ADMODUM dici.

XII. ATT. Prorsus ita est.—QUINT. Haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas velim.  
—MARC. Perseveras tu quidem, et in tua vetere sententia permanes?—QUINT. Nunc mehercule.—ATT. Ego sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, qua restant, audiamus.

MARC. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et judicia dantur: judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur; auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impidirent mora: saepè enim populi impetum injustum anspiciis dii immortales represserunt. Ex his autem, qui magistratum cuperunt, quod senatus efficitur, ' populare sane, neminem in summum locum, nisi per populam, venire, sublata cooptatione cen-

<sup>1</sup> Popularem.

soria. Sed præsto est hujus viti<sup>1</sup> temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas. Sequitur enim: «ejus decreta rata sunt.» Nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii, quodque is creverit, defendant omnes; et, si ordines reliqui principis ordinis consilio rempublicam gubernari velint; possit, ex temperatione juris, quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status, præsertim si proximæ legi parebitur. Nam proximum est: «Is ordo vitio careto, ceteris specimen esto.»

QUINT. Praeclara vero, frater, ista lex est, et late patet, ut vitio careat ordo, et censorem quarat interpres. — ATT. Ille vero, etsi est totus tuus ordo, gratissimamque memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censores, sed etiam judices omnes potest defatigare.

XIII. MARC. Omitte ista, Attice. Non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere voluerint, haec habetur oratio. Nam quum omni vitio carere lex jubeat, ne veniet quidem in eum ordinem unquam viti<sup>1</sup> particeps. Id autem difficile factu est, nisi educatione quadam et disciplina: de qua

<sup>1</sup> Abest rata.

dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci, aut temporis. — ATT. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum; tempus vero largitur longitudo diei. Ego autem, etiamsi praeстерieris, repeatam a te istum de educatione et disciplina locum. — MARC. Tu vero et istum, Attice, et si quem alium praeстерei.

« Ceteris specimen esto. » Quod si est, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas; sic emendari et corrigi continentia. Vir magnus et nobis omnibus amicus, L. Lucullus efferebat, quasi commodissime respondisset, quum esset objecta magnificentia villa Tusculanae, duo se habere vicinos, superiorem, equitem romanum; inferiorem, libertinum: quorum quum essent magnifica villa, concedi sibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis essent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret istos, quum videret eorum villas signis et tabulis referatas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? quis non frangere eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatis ejusdem tenerentur?

XIV. Nec enim tantum mali est peccare principes (quoniam est magnum hoc per se ipsum malum), quantum illud, quod permulti imitatores princi-

pum existunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri <sup>1</sup> fuerint, talem civitatem fuisse; quæcumque mutatio morum in principibus existiterit, eamdem in populo <sup>2</sup> secutam. Idque haec paulo est verius, quam quod Platoni nostro placet, qui, musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum status. Ego autem nobilium vita virtutique mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, quod ipsi corrupti, sed etiam quod corrupti, plusque exemplo, quam peccato nocent. Atque haec lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. Pauci enim atque admodum pauci, honore et gloria amplificati, vel corruptere mores civitatis, vel corrigerem possunt.

Sed haec nunc satis, et in illis libris tractata sunt diligentius. Quare ad reliqua veniamus. Proximum autem est de suffragiis: quæ jubeo nota esse optimatibus, populo libera. — ATT. Ita mehercule attendi, nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista vellent.

XV. MARC. Dicam, Tite, et versabor in re dif-

<sup>1</sup> Fuerunt. <sup>2</sup> Secutaram.

ficili, ac multum et saepes quiesita: suffragia in magistratu mandando, aut reo judicando, aut lege aut rogatione sciscenda, clam, an palam ferre melius esset. — ATT. An etiam id dubium est? — QUINT. Vereor, ne a te rursus dissentiam. — MARC. Non facies, Quinte. Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio: nihil ut fuerit in suffragiis voce melius; sed, obtineri an possit, vindendum est. — QUINT. Frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime et fallit imperitos, et obest saepissime reipublicæ, quum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsistit posse populo, negatur. Primum enim obsistitur, quum agitur severe; deinde vi opprimi in bona causa, est melius, quam male cedere. Quis autem non sentit, <sup>2</sup> auctoritatem omnem optimatum tabellariam legem abstulisse? quam populus liber nunquam desideravit; idem oppressus dominatus ac potentia principum, flagitavit. Itaque graviora judicia de potentissimis hominibus exstant vocis, quam tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignoran-

<sup>1</sup> Schütz, post Gærenzium, præpositionem delet, quæ abest a multis codi. <sup>2</sup> Idem editores, omnem auctoritatem.

tibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum ocularet suffragium.

XVI. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus. Sunt enim quatuor leges tabellariae: quarum prima de magistribus mandandis; ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sordido. Secunda biennio post Cassia est, de populi judicio; ea a nobili homine lata est, L. Cassio, sed, pace familiae dixerim, dissidente a bonis, atque omni rumusculos populares ratione auecante. Carbonis est tertia de jubendis legibus, ac vetandis, seditionis atque improbi civis: cui ne reditus quidem ad bonos salutem a homi potuit afferre. Uno in genere relinqu videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cœlius tabellam, <sup>1</sup> doluitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popillium, <sup>2</sup> nocuisse et reipublicæ. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitui M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in simplo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius ejus Marius in Ægeo excitavit <sup>3</sup> mari. Ac nostro quidem, quum

<sup>1</sup> Vulg. docuitque. <sup>2</sup> Schütz, Davisio et Gærenzio auctoribus, scripsit nocuisse reipublicæ. Nollem factum. <sup>3</sup> Mari, ac nostro quidem. Quo quum.

res esset ad se delata, Seaurus consul: « Utinam, inquit, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa republica nobiscum versari, quam in municipal' maluisses! » Quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi romani, sed aut repetimus ereptas, aut novas scribimus: non quid hoc populo obuineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicimur puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu, si tabellarium tuleris, ipse præstabis. Nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e vulta ejus intelligo.

XVII. ATT. Mihi vero nihil unquam popularē placuit; eamque optimam rempublicam esse duco, quam hic consul constituerat, quæ sit in potestatem optimorum. — MARC. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, <sup>1</sup> tamen libertatem istam largior populo, ut et auctoritate valeant, et utantur <sup>2</sup> boni. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: — « Optimatibus nota, plebi libera sunt. » — Que lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret, quæ postea latae sunt; que tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat

<sup>1</sup> Gærenz. e varia scriptura multorum codicum, tamen istam libertatem ita largior populo. <sup>2</sup> Olim mendose, bonis.

tabellam, ne roget, ne appelle. Pontes etiam lex Maria fecit angustos. Quæ si opposita sunt ambitionis, ut sunt fere, non reprehendo: sin valuerint tantum leges, ut ne sint ambitus; habeat sane populus tabellam, quasi vindicem libertatis, dummodo haec optimo cuique et gravissimo civi ostendatur, ultroque offeratur, <sup>1</sup> uti in eo sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet, quam solehat vox, quia populo licere satis est. Hoc retento, reliqua voluntas auctoritati, aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, queri in suffragiis, quid optimi viri sentiant? Quamobrem lege nostra libertatis species datur, honorum auctoritas retinetur, contentionis causa tollitur.

XVIII. Deinde sequitur, quibus jus sit cum populo agendi, aut cum senatu. Gravis, et, ut arbitror, præclara lex: « Quæ cum populo, queque in patribus agentur, modica sunt; » id est, modesta atque sedata. Actor enim moderatur et fingit, non modo mentem ac voluntates, sed pene vultus eorum, apud quos agit. Quod in senatu non

<sup>1</sup> Al. ex aliis mss., ut sit ipsa libertas.

difficile est. Est enim senator is, cujus non ad auditorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic jussa tria sunt: ut adsit; nam gravitatem res habet, quum frequens ordo est: ut loco dicat, id est, rogatus: ut modo, ne sit infinitus; nam brevitas, non modo senatoris, sed etiam oratoris, magna laus est in sententia. Nec est unquam longa oratione utendum, nisi aut, peccante senatu, quod fit ambitione seipissime, nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est; aut quum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendum: quorum generum in utroque magnus noster Cato est.

Quodque addit, «causas populi teneto,» est senatori necessarium, nosse rempublicam. Idque late patet: quid habeat militum, quid valeat aeraio, quos socios respublica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fædere; tenere consuetudinem decernendi; nosse exempla majorum. Videntis jam, genus hoc omne scientiae, diligentiae, memoriae esse, sine quo paratus esse senator nullo pacto potest.

Deinceps sunt cum populo actiones; in quibus primum, et maximum: «Vis abesto.» Nihil est

<sup>1</sup> Sic Davis. Ernest. Alii, ut Turneb. Gorenz, Schütz, actorem. Lubricus locus.

enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri et legibus, nihil minus civile et humanum, quam, composita et constituta republica, quidquam agi per vim. Parere jubet intercessori: quo nihil præstantius. Impediri enim bonam rem melius, quam concedi malæ.

XIX. Quod vero actoris jubeo esse fraudem, id totum dixi ex<sup>1</sup> Crassi, sapientissimi hominis, sententia: quem est senatus<sup>2</sup> secutus, quum decretisset, C. Claudio consule de<sup>3</sup> C. Carbonis seditione referente, invito eo, qui cum populo agebat, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simul atque intercessum turbarique coepit sit, dimittere. Quod qui<sup>4</sup> promovet, quum agi nihil potest, vim querit: cuius impunitatem amittit hac lege.

Sequitur illud: «Intercessor rei malæ, salutaris civis esto.» Quis non studiose reipublice subvenierit, hac tam præclara legis voce laudatus?

Sunt deinde posita deinceps, quæ habemus etiam in publicis instituti atque legibus: «Auspicia seruanto, auguri parento.» Est autem boni auguris, meminisse, maximis reipublicæ temporibus

<sup>1</sup> Schütz, Gærenzio suadente, addidit prænomen, P. Crassi. <sup>2</sup> Idem, consecutus. <sup>3</sup> Male in vulgatis Cn. <sup>4</sup> Sic Schütz optime. Vulg. permovet.

præsto esse debere; Jovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos, quos in auspicio esse jusserit; cælique partes sibi definitas esse traditas, de quibus sæpe opem refferre possit. Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibusve audiendis.

Tum leges præclarissimæ de XII Tabulis tralatae duæ: quarum altera privilegia tollit; altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. Nondum <sup>1</sup> initis seditionis tribunis plebis, ne <sup>2</sup> cogitatim quidem, admirandum, tantum majores in posterum providisse. In <sup>3</sup> privos homines leges ferri noluerunt; id est enim privilegium: quo quid est injustius? quum legis hæc vis sit, scitum <sup>4</sup> esse jussum in omnes. Ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis, noluerunt: descriptus enim populus censu, ordinibus, æstatibus, plus adhibet ad suffragium consilii, quam fuit in tribus convocatus. Quo verius in nostra causa vir magni ingenii, summaque prudentia, L. Cotta, dicebat, nihil omnino actum esse de nobis. Præter enim quam quod comitia illa essent armis gesta servilibus, præterea neque tributa capitio comitia rata esse

<sup>1</sup> Wagner conj. inventis; Schütz, natis, etc. <sup>2</sup> Mendose mss. negotialis vel negotiatis. <sup>3</sup> Privatos. <sup>4</sup> Est.

posse, neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum es- set legibus. Sed visum est et nobis, et clarissimis viris, melius, de quo servi et latrones sciuisse se aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere.

XX. Sequuntur de captis pecuniis, et de ambitu leges. Quæ quum magis judiciis, quam verbis sancienda sint, adjungitur: «noxiæ poena par esto», ut in suo vitio quisque plectatur: vis, capite; avaritia, multa; honoris cupiditas, ignominia sanciatur.

Extremæ leges sunt nobis non usitatæ, reipublicæ necessariae. Legum custodiā nullam habemus. Itaque hæc leges sunt, quas apparitores nostri volunt: a libriis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius, apud quos νομογύλας; creantur: nec hi solum litteras (nam id quidem etiam apud majores nostros erat), sed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant. Hæc detur cura censoribus: quandoquidem eos in republica semper volumus esse. Apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint; deque iis censores præju-

<sup>1</sup> Sie Wagner, Gorenz, Schütz, pro vitioso possent.

## DE LEGIBUS,

dicent. Hoc in Græcia sit, publice constitutis accusatoribus. Qui quidem graves esse non possunt, nisi sint voluntarii. Quocirca melius est rationes referri causamque exponi censoribus; integrum tamen legem accusatori judicioque servari. Sed satis jam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis.

ATT. Si nos tacemus, locus ipse <sup>1</sup> admonet, quid tibi sit deinde dicendum. — MARC. Mihine? de iudiciis arbitrör, Pomponi; id est enim junctum magistratibus. — ATT. Quid? de jure populi romani, quemadmodum instituisti, dicendum nihil putas? — MARC. Quid tandem hoc loco est, quod requiras? — ATT. Egone? quod ignorari ab iis, qui in republica versantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis lego: sic animadverto, quosque in magistratibus ignorantie juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasi, quoniam de religione leges proposueras: faciendum tibi est, ut, magistratibus lege constitutis, de potestate, tum de jure disputes.

MARC. Faciam breviter, si consequi potuero:

<sup>1</sup> Al. non admonet. Davisius sic? Quid? si nos tacemus, locus ipse tamen admonet.

## LIBER III.

nam pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Junius sodalis, perite, meo quidem judicio, et diligenter. At de jure naturæ cogitare per nos, atque dicere debemus; de jure populi romani, quæ relicta sunt, et tradita. — ATT. Sic profecto censeo, et id ipsum, quod dicis, exspecto.